162. 300.

Vir Excellentissime

Salvus et integer ad me rediit Hegesippus noster, quem tibi non ingratum fuisse vehementer gaudeo. Utinam ad manus essent codices Vergilii et Plinii, quos desideras, haberes a me quanto cyus. Addesne Servium editioni tuae Vergilianae, quam paras? opere tuae pretium feceris, si consuleres codicem nostrum seculi XI qui in sex libros Aeneidos commentarium Servii complectitur, ex collatione enim nonnullorum locorum deprehendi librarium diligentem. Utinam quispiam eruditorum omnes doctissimi huius Scholiastae ad manus haberet variosque codices MSS inspiceret, egregiam sine dubio operam reipubl. praestaret literariae.

Tenaces nimium esse eos quibus cura Bibliothecae Civicae commissa est aegre ex te audio, jam dudum Eginhartus praelum deseruisset ni Helavio ille hactenus moram injecisset. Nonne ab Ampl. Mascovio obtineri potest, quem pariter Curatorem thesauri huius literarii constitutum esse audio. Si integer impetrari nequit, fac quaeso ut ad me proxime veniat fragmentum ex initio medio et fine, quod speciminis instar loco sit, ex quo judicare possim de pretio eius, si enim Turpinicola vel ante quam descripsit Eginhartum, vel fabulas tractat, novae editioni meae certo non erit oneri. Est mihi civis apud Vos Ministerii Candidatus Engelschall patria Marburgensis olim meus auditor, hic si Lipsiae adhuc commoratur mei causa manum praebebit adjutricem in describendo codice.

300v

Negotia quae mihi extra ordinem demandantur ab aliquot annis ita surripiunt quasi omne mihi otium, ut saepe vix per menses Petrum de Vineis inspicere liceat. Praeterea tam difficile hoc est opus cum tot volumina mihi sint evolvenda et excerpenda, ut non nisi lente procedere possit hic labor. Si commodum tibi esset V. Celeberrime excutere tam in Bibliotheca Academica quam Civica codices epistolographicos, quorum copiam apud vos extare fama est, rem mihi nullo non officiorum genere compensandam praestares; cum enim nullum seculum quam Friderici fuerit ferocius in conscribendis epistolis, quibus tam Imperatoris quam Papae causa agebatur, imo Petrus de Vineis eo aevo Ciceronis quasi loco in exemplar juventuti propositus, nulli fere auctores Epistolarum, dictatores ea vocant aetate, extiterunt post illa tempora, qui non suis collectionibus ex Petro vel aliis ejus aevi Notariis inseruerint literas, uti rerum usu maximo cum fructu novae editionis didici. Jam quaeso Fautor aestumatissime Engelschallio viam ad custodes Bibliothecarum, et nullum hic mei causa laborem subterfugiet. Historiam Hassiacam in dies quasi urget Serenissimus, quanquam adhuc innumera me deficiant argumenta. Si forte per amicos quorum habes plurimos, posses procurare subsidia Historiae Thuringico-Hassiacae, et patriae et mihi gratularer tibi, me devinctissimum publice profiterer; cum enim medii aevi reliquiae hinc inde sint per varia fata dispersae, tentandi sunt omnes hujus artis cultores, saepe enim hac arte detexi diplomata aliaque, quae nunquam in illis oris vel somniando

quaesivisse. Ex catalogo Felleriano, quem tamen valde mancum esse omnes quibus intueri licuit sacra illa literaria, didici duo extare in hoc thesauro Chronica Thuringica, latina an germanica, veteri an recentiori sint scire valde aveo. Ill. Grebnerum vestratem multa in apparatu suo Thuringico possidere viri retulerunt. Utinam Viri illius excellentissimi gratiam mihi parare possem ut benevola fronte meas exciperet literas, nullus enim dubito ex copiosissimis illius fontibus haud exiguos in Historiam Hassiacam meam derivari posse rivulos.

Importunum me sollicitatorem sine dubio me appellabis, quod tot et tanta abs Te V.C. petere non erubescam. At quid non suadet inopia, qua me undique in Historia patria circum cinctum sentio Condonabis id servo tuo pro ea qua polles humanitate et benevolentia.

Superiori aestate gravissimo morbo decumbens, quo dei beneficio profligato nunc firmiori utor valetudine.

Lucanum tuum majorem cancellos mundi liberis audio, minor cum valde salivam movit.

Ill. Menckenio cum plurima salute quaeso referas me hactenus a Creditoribus Thomasianis obtinere haud potuisse Acta Conducturam es alienum quod contraxit persolvere (mutthe) special 1000 Imperialer, nec mater adire hereditatem filii vult nisi cum beneficio Inventarii.

301.v

quod nuper me praesente a Notario fuit confectum et mihi ad de-
clarandum volit nec ne libros filii partes illos cum sibi relinquit,
eruditam; cum primum cognovero eam adire velle hereditatem, cura-
bo pro viribus negotium Ill. Menkenii
Si Engelschallus adhuc civibus vestris Academicis adscriptus sit, quaeso
ei tradi jubeas quae ejus et Hornii nomine praescripsit. Si vero
sedem mutaverit, famulo tuo commendes quaeso literas ad Cl. Hor-
nium et Weydmannum, quas Caramenus noster conscripsit nonnullo-
rum amicorum causa, alteram ad Engelschallium remittas.
Si quae nova literaria habeas ea quaeso mihi ne invideas, praecipue
vero commendo tibi Historiam Hassiacam, Helmnonicam et Schm.
Vale Vir Amplissime et fave Excellentissimi Nominis Tui Culto-
ri indefesso, quem te amare non solum sed et diligere
ex animo certo tibi persuadeas.

Cassellis Cattorum 19 Januarii 1729.

J H Schmincke.

Quo citius eo gratior mihi tua responsio.